



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Joannis Trithemij, Spanheimensis, Et Postea Divi Jacobi apud Herbipolim Abbatis, Viri suo aevo doctissimi. Tomus ... Annalivm Hirsavgiensivm**

Opus nunquam hactenus editum, & ab Eruditis semper desideratum.  
Complectens Historiam Franciae Et Germaniae, Gesta Imperatorum,  
Regum ...

**Trithemius, Johannes**

**S. Galli, 1690**

De Hartvvigo hujus Monasterij Hirsaugiensis XVI. Abbate; qui præfuit  
mensibus duntaxat duobus; Et vita ejus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38550**

Bohemiæ de conſuetudine antiqua ad Moguntinam pertinebat Eccleſiam, donec tandem per quendam Archiepiſcopum Moguntinum, pecuniâ interveniente, Pragenſi Eccleſiæ conſeſſum fuit.

Imperator  
debellat  
Ducem Po-  
loniæ.

Anno prænotato Fridericus Imperator exercitum movit in Poloniam contra Ducem gentis, qui per annos aliquot Imperio rebellis extitit, & annum tributum ſolvere contempſit. Congreſſione itaque factâ, exercitus Cæſarianus contra Ducem prævaluit, & rebelles ad obedientiam coëgit. Denique cenſum prioribus annis neglectum Imperator Ducem ex integro ſolvere compulſit, à quo & novas cautiones ſufficientes accepit. Quibus pactis, ad interiora Imperij reverſus eſt.

MCLVII.

Decanus  
Pfortzenſis  
fit hic Mo-  
nachus.

Anno Volmari Abbatis xxxvii. Indiſtione Romanorum quintâ, Sigefridus Decanus Eccleſiæ in Pfortzheim Monachus in præſenti Cœnobio Hirſaugienſi pro Chriſti amore factus eſt, vir prudens & ſingulari devotione charitatis in Deum ferventiſſimus atque in divinis Scripturis haud mediocriter eruditus; qui multa in uſus fratrum bona contulit, ſicut liber Donationum oſtendit. Simili devotione complures alij viri nobiles docti & honorati, ac divites in ſæculo, ſpretis atque contempſis mundi vanitatibus cunctis, tempore Volmari Abbatis & ſe & ſua Monasterio tradentes, ſanctæ converſationis habitum pro Chriſti amore ſuſceperunt, in obſervantia Regulari uſque ad mortem perſeverantes; inter quos fuit non ultimus poſtea Volmari ſucceſſor, nomine Hartvvigus, qui primo in majori Eccleſia Spirenſi Decanus extitit, & poſtea in Præpoſitum à Confratribus ſuis electus fuit. Cùmque honore dignitatis atque divitijs magnus haberetur in ſæculo, cuncta pro Chriſti amore deſeruit, & in hoc Monasterio ſub Volmaro Abbate ſanctæ converſationis habitum aſſumpſit. Cujus ſecuti exemplum multi ſæculum ſimiliter contempſerunt.

Præpoſitus  
Spirenſis fit  
hic Mona-  
chus.

Volmarus  
Abb. Cœ-  
nobij xv.  
moritur.

Anno prænotato Volmarus Abbas hujus Monasterij Hirſaugienſis xv. ſento gravatus, & multis laboribus nimium fatigatus infirmari coepit, & morbo paulatin crescente tandem deficiens xxv. die menſis Februarij, ad Dominum emigravit, aſſo Regiminis ſui xxxvii. demptis quatuor diebus completo, in majori Monasterio ante Altare S. Michaelis cum devotione ſepultus. Vir certè apud omnem poſteritatem æternâ memoriâ dignus utpote qui non ſolum regularis diſciplinæ obſervantiam inviolabiliter tenuit, verum etiam in temporalibus providus, res Monasterij, cenſus, redditus atque ſtructuras tempore ſui Regiminis valde ampliavit.

## De Hartvvigo hujus Monasterij Hirſaugienſis Xvi. Abbate; qui præfuit menſibus duntaxat duobus; Et vita ejus.

Hartwigus  
Abbas xvi.  
eligitur.

**V**olmaro Abbate Reverendiſſimo vitâ defuncto, atque ſepulto non ſine gemitu & lachrymis filiorum, qui illum ut patrem ſanctum & pientiſſimum veraciter in Chriſto diligebant; eodem mox die propter cauſam urgentem ad novi Paſtoris electionem conſultò fuit proceſſum. Invocatâ igitur, ut moris, gratiâ Spiritûs Sancti, Fratres in Domino congregati Hartvviguna venerabilem Patrem tam

tam unanimi consensu in Abbatem elegerunt, ut ne unus quidem ex omnibus discreparet, anno Domini supra scripto MCLXVII. indictione Romanorum quinta, Mensis autem Februarii quinta atque vicesima, mane hora diei prima. Qui videns se vocari ad Regimen animarum, valde contremuit, & procidens in terram coram omnibus, cum multis lachrymis dixit: Quid facitis o fratres mei, quid facitis? senem me penitusque inutilem vobis prelatum constituere pergitis? alium quare obsecro pro tanti Regiminis moderamine idoneum, quem doctrina sanctae praedicationis nobis reddat utilem, & propriae vitae meritum efficacem, ego me scio insufficientem ad ministerium operis, & novi vires non sufficere meas ad sollicitudinem curae pastoralis. Quin potius si voluissem imò valuissem alienas regere animas, in eo quo fueram statu, permanissem. Sed cum scirem me indignum ad praesidendum hominibus, curam animarum deserui, & ad serviendum omnipotenti Domino in cordis mei simplicitate hanc vivendi formam secutus fui. Unde Fratres parcite mihi quaeso quem scitis inutilem, & ex vobis talem eligite, qui portare onus tanti Regiminis sit idoneus. Sed cum Fratrum Congregatio tota instantissime rogaret, quatenus impositum sibi munus propter Deum dignaretur assumere, victus tandem eorum lachrymosis precibus, humiliter consensit dicens: contemnere tantas preces & lachrymas omnium vestrum, amantissimi Fratres, nec possum nec debeo; & propterea omnem voluntatem meam divinae ordinationi & vestris desiderijs humiliter submitto. Quicquid omnipotens DEUS de mea parvitate ordinaverit, nec possum nec volo sanctissimae rectissimaeque voluntati ejus reluctari; confido tamen in ejus misericordiam, pro cuius amore factus sum Monachus, quoniam diu me in hac mortalitate non permittet vivere, si hoc onus praelationis saluti animae meae debuerit obesse. Quod verbum ejus optato effectu non caruit, quoniam 2. duntaxat mensibus in pastoralis dignitate supervixit. Novit omnipotens DEUS qui sunt ejus, & quorum placitam sibi conversationem in hac mortalitate praeparat, eorum ad se animas, ne aliquo maculentur pulvere vanitatis, in meliori statu vocat. Ad nimiam itaque instantiam Fratrum electioni consentiens, gravem sarcinam Regiminis animarum subijt, utpote qui se totum divinae providentiae submitit. Munus autem Benedictionis à Neometensi Pontifice propter certas causas non voluit accipere, sed navigio descendit ad Confluentiam & ibi juxta tenorem privilegij Monasterio dati antiquitus, ab Hillino Trevirorum venerabili Archiepiscopo in secunda quadragesimae Dominica Benedictionis ministerium magna cum devotione mentis suscepit. Cum autem benedictione percepta, sicut diximus, per fluentem Rheni fluminis navigio cum suis ascenderet, ad Bingios applicuit, & sanctam Christi sponsam Hildegardem in Monasterio D. Ruperti visitavit, ex multo enim tempore eam videre simul & alloqui cupiebat. Nactus itaque oportunitatem cum ea loquendi, omnem cordis sui statum & maerorem coram illa humili confessione aperuit, & in quantis versaretur angustijs propter assumpti onus Regiminis, simplici devotione reseravit. Denique rogavit, quatenus divinam pro ejus statu consuleret voluntatem; qua praemissis orationibus ex revelatione Domini ita respondit: *Lux vivens dicit tibi, O Homo, mens tua sit tibi in voluntate mea subiecta, & non abiciam te, homo enim*

Devictus  
Fratrum  
precibus  
consensit.

Voluit dis-  
solvī & ef-  
feret eum  
Christo.

Ab Archie-  
piscopo  
Trevirorum  
benedici-  
tur.

S. Hilde-  
gardem al-  
loquitur.

Verba Hil-  
degardis ad  
Hartwigū.

qui

qui mihi paratus est servire pro honore Nominis mei, in pascendo animas mea & aliud non querit, in me manet. Ego autem scio quis ex me stet in Pralatione, & illum non deseram, & qui sine me regnat, hunc ego non adverto. Tu autem esto paratus quoniam cito veniam reddere tibi secundum fidem tuam. Posthæc valedicens Hartvvigus Abbas famulæ Domini, & commendans se orationibus ejus ad Hirsaugiam reversus est, gaudens se per illam consolatum à Domino.

Hartwigus  
ex Francia  
Orientali  
oriundus  
erat.

In Ecclesia  
Spirensi fit  
Canonicus.

Hartwigus  
bonæ Con-  
scientiæ  
homo.

Erat autem Hartvvigus Abbas patriâ Francus Orientalis ex Herbi-  
polensi Territorio natus, qui adolescens traditus scholis ad studium li-  
terarum, satis doctus in omni varietate scripturarum, tam divinarum  
quàm sæcularium evasit, nam per aliquot annos in civitate Francorum  
Babenberg operam literis dedit, ubi tanta fuit Magistrorum copia, ut  
amore discendi maximæ scholarum multitudines non solum ex Germa-  
nia, sed etiam ex Italia & Gallia certatim illò confluerent. Nulli Cleri-  
corum licebat alio quàm latino sermone uti, quoties inter se quippiam  
fuisset dicendum. Crescentibus cum tempore meritis, scholas jam viri-  
lis deseruit, & veniens ad Ecclesiam Spirensis principalem, factus in  
ea Canonicus fuit, in qua se tam sapienter & religiosè habuit, quòd sem-  
per ad altiora quasi quibusdam gradibus ascenderit. Nam primò post  
Canonicatum Ecclesiæ memoratæ Camerarius extitit: postea in Deca-  
num electus fuit, & postremò communi electione fratrum major, est  
Præpositus, non sine multorum favore constitutus. Erat sanè vir bonæ  
conscientiæ, vitæ honestæ ac spiritualis, amator studij, sine querela  
morum integritate pacificus, qui licet abundantiam rerum temporalium  
simul & honoribus terrenis afflueret, minimè tamen propterea in su-  
perbiam se extulit, humiles & pauperes minimè despexit, memor sem-  
per admonitionis Davidicæ in Psalmo dicentis: *Divitiæ si assuani, vultu  
eor apponere*; mortalem se curavit agnoscere, & quasi pauper & cito tran-  
siturus divitias possidere. Manum suam aperuit inopi, & largus semper  
in pauperes extitit: inter cætera pietatis suæ studia Congregationem  
Hirsaugiensium singulari devotionis affectu semper coluit, & multa eis  
beneficia impendit, nam quoties potuit, pro consolatione spirituali ad  
eos venit in Hirsaugiam, & quorum visâ conversatione sanctissimâ, sem-  
per se melior ad propria remeabat. Quoties verò ad civitatem Neo-  
metensem fratres venissent de Hirsaugia, non alibi, quàm ad ejus de-  
clinabant hospitium. Erat domus ejus instar Monasterij, honestissimis  
ornata servitoribus, in qua nec mulieribus patebat ingressus, nec animo  
levibus, inhonestisve hominibus; summo etenim studio vitam honestis-  
simam ducere consuevit. Unde maturus semper incessit; bonis & rectis  
corde propter vitæ omnimodam integritatem venerabilis, malis autem  
& reprobis tanquam iudex metuendus. Nam ejus in præsentia loqui vel  
agere turpe seu inhonestum, nullus præsumebat. Internâ quoque mentis  
devotione semper Deo compunctus humiliter serviebat, nullum tempus  
otiosum transire permittens, in quo non aliquid boni operis exerceret.

Frequens in sanctis orationibus extitit: studium divinis lectio-  
bus continuè impendit, & proficere in melius quotidie pro viribus cu-  
ravit. Cum verò pleròsque ex Canonicis suis ire per abrupta vitiarum  
in perditionem cerneret, vehementer indoluit, & medicamenta san-  
ctæ correptionis apponere delinquentibus non cessavit. Sed eum ad-  
monitio

monitiones ſuas parum in plerisque videret proficere, cœpit prælationis ministerium paulatim abhorrere, metuensque propter aliena delicta, quæ non poſſet corrigere, animæ ſuæ periculum incurrere, curam paſtoralis ſollicitudinis deliberat reſignare. Interea contigit S. Abbatem Clarevallis Bernardum in cauſis Eccleſiæ Romanæ Legatum venire ad Neomerenſem civitatem, & in domo ejus habere manendi hoſpiti- um cum Monachis ſuis, cum quo ſalus intravit, & magna compunctio mentis. Videns enim vir ſanctus & prudens, & Religionis amator, tot fieri miracula per hominem DEL, mox in ſermonibus ejus compungitur, & fugere de medio Babylonis quantocius meditatatur. Diſpoſitis ergo cum tempore ſuis rebus atque negotijs, proſiſtitum mentis occultum tenuit; metuens non irrationabiliter, ne ſi fieret publicum, ſatan impedire tentaret.

Ordinatis tandem ſecreterè omnibus, rebuſque ſuis partim venditis & in monetam redactis, partim verò ad Hirſaugiam præmiſſis vel etiam in uſus pauperum diſtributis, mundum cum univerſis vanitatibus ſuis pro Chriſti amore deſeruit, & veniens ad Monafterium Hirſaugienſe ſub magiſterio Volmari Abbatis ſanctæ converſationis habitum aſſumpſit, plura hujus mundi præcioſa in auro & argento vaſiſque & ornamentis ac varia ſuppellectili ſecum attulit, quæ omnia ſecundum Regulam Abbati Volmario conſignat.

Factus autem Monachus Clauſtralis ex præpoſito ſeculari venerabilis Hartwigus, omnem hujus mundi curam & ſollicitudinem cum habitu depoſuit, ſequè totum ſanctis virtutum exercitijs mancipavit. Ex illo namque die, quo ſe ad Monafterium converſionis gratiâ contulit, ſemper aut mente aut corpore in divino ſervitio intenſiſſimè occupatus fuit. Horis intereſſe Canoniciſ tam in die quàm in nocte ſemper illi fuit dulciſſimum; uſque adeo ut tempus omne perdiſſe diceret, quod aliter quàm DEI ſervitio videretur impenſum. Corpus ſuum per abſtinentiam & vigiliis multas in ſervitum ſpiritus curavit ſubiicere, & mundanæ conſuetudinis motus jejunijs & orationibus caſtigare. Inter fratres converſando ſemper tranquillus fuit & ſummè pacificus tantæque affluens charitate ut quaſi mater omnium videretur. Turbatum cum nemo vidit unquam; murmurantem nemo audiuit, ſed fundatus in timore Domini & in vera humilitate ambulans, neminem contriſtavit. Et hæc ſunt quæ ad nos, fidelium ſcriptorum teſtimonio de vita & moribus venerabilis viri Abbatis memorati Hartwigi pervenerunt.

Anno Dominicæ Nativitatis ſupra ſcripto MCLVII. Fridericus Imperator Dominicum paſcha in civitate Wormatiensi cum magna ſolemnitate celebravit: ubi omnes Regni Principes convenientes, ſe in annum ſequentem cum ipſo Cæſare in Longobardiam contra inobedientes & rebelles proſecturos unanimi conſenſu promiſerunt & jurârunt. A Wormatia Cæſar deſcendit ad Moguntiam, ubi convocatis Abbatibus Præpoſitis, Decanis & potioribus de Clero ſimul & populo civitatis, magnâ illos prævenit induſtriâ, ut ſibi jurejurando promitterent, nullum ſe poſt mortem Arnoldi Præfulis electuros Pontificem, niſi quem Imperator ipſe duxerit promovendum; quod multorum malorum ſeminarium fuit. Eodem anno mortuus eſt Arnoldus Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopus.

K k

pus

Armatus  
fuit & Zelo  
rectitudi-  
nis.

S. Bernardo  
prædicante  
converti-  
tur.

Dona Mo-  
naſterio  
plura con-  
tulit.

Hartwigus  
Religioſi-  
ſime vixit.

Conventus  
Principum  
in Worma-  
tia.

Imperator  
deſcendit  
ad Mogun-  
tiam.

Fridericus  
fis Archie-  
piscopus  
Colonienf.

Inter Papā  
& Impera-  
torem dif-  
fensio.

Causa dif-  
fensionis.

Verba Im-  
peratoris  
contra Pa-  
pam.

S. Wilhel-  
ex Comite  
Eremita.

pus ejus nominis secundus, magni apud Imperatorem pretij simul & authoritatis, cujus corpus in Cœnobio Ryndorff monialium nostri Ordinis, quod ipse haud procul à Bonna, ut supra diximus, fundaverat, sepultum est. Post quem duo fuerunt per dissensionem electi Fridericus scilicet Præpositus S. Gereonis in Colonia, & Gerardus Præpositus in Bonna; inter quos gravis pro Archiepiscopatu fuit suborta discordia. Jure tandem Fridericus ejus nominis æquè secundus prævaluit; cui Gerardus cedere Judicio Cæsaris & Principum in Conventu Ratisbonæ compulsus fuit. His temporibus inter Adrianum summum Pontificem & Fridericum Imperatorem gravissimæ dissensiones fuerunt subortæ, quæ magnum in Ecclesia scandalum protulerunt, in tantum, quod Cæsar tandem Adriano Papâ mortuo, contra ejus legitimum successorem, Alexandrum videlicet tertium, quatuor falsos Pontifices sibi mutuò succedentes subrogavit. Hujus gravissimæ dissensionis primas causas nimirum pueriles tales comperimus: Innocentius quondam Papa secundus Romæ in pariete cujusdam Ecclesiæ suam fecit depingi imaginem, ornamentis Pontificalibus circumamictam & in Cathedra Papali sedentem; ante cujus pedes imago Lotharij Regis secundi quasi genuculantis erat formata ut qui manibus complofis coronam de manu Pontificis Imperialem suo capiti præstolaretur imponendam, sive impositam suscipientis. Hanc picturam Romæ consistens Imperator cum vidisset, non parum ei displicuit, asserens se imperium non à Papa sed à Domino DEO esse consecutum. Aderant etiam nonnulli ad mala consilia nimis audaces & prompti, quorum interpretatione picturæ animus Cæsaris non solum mitigatus non fuit sed magis succensus in iram. Huic opinioni sinistra accepta pridem à Romanis in coronatione Regis contumelia non parvas addidit vires; quando multorum sententiâ Pontifex habebatur suspectus de Romanorum facta seditione, quando in Cæsarianos impetum fecerunt armati, sicut in ejus coronatione jam supra diximus. Ab illo namque die Imperator & Papæ mentem & Romanorum detestabatur perfidiam. Accessit prædictis & illud: Imperatore cum optimatibus Regni pro negotijs Imperij apud Bisuntinam urbem in Burgundia celebrante Curiam, duo à Roma venerant Cardinales Adriani Papæ literas Imperatori perferentes, in quibus Cæsarem Pontifex his verbis alloquitur: *Beneficium coronæ tibi contulimus, neque penitentiam moveremus, si Excellentia tua etiam majora à nobis beneficia suscepisset: Hoc verbum Beneficium, hi qui circa Imperatorem erant, usualiter interpretantes, & in contumeliam ipsius positum asserentes, commotum prius animum ejus adversum Pontificem concitatiores fecerunt. Itaque in iram convertitis Cardinales, qui literas Papæ attulerant, cum injuria & minis à facie sua jusse discedere: Quibus & dixit: Hoc quod à solo DEO habemus (coronam videlicet cum Imperio denotans) non Romano Pontifici, sed DEO attribuimus. Primam vocem Regiæ Electionis Archiepiscopi Moguntini recognoscimus: Regalem Consecrationem Archiepiscopo Colonienfi permittimus: Imperialem Consecrationem Romano Pontifici assignamus. Delatur ergo picturæ, scripturæ corrigantur alioquin inter Regnum & Sacerdotium non erit pax & concordia.*

Claruit circa hæc tempora S. Wilhelmus Eremita, Ordinis sui Nomi-

Nominis Institutor, quondam Comes Pictaviensis in Gallia, vir multarum virtutum & eximiae sanctitatis, qui lorica induus ad nudam carnem, vitam suam in maxima districtione consummavit. Hunc S. Bernardus olim cum Schismaticis contra Innocentium Papam contumaciter sententem, per Sacrosanctum Corpus Domini patenae superpositum, contestans adeo perterritus, ut non solum omnem pertinaciam deponeret, sed etiam principatu cum amplissimis divitijs atque honoribus pro DEI amore contemptis, eremum intraret. Floruit quoque his temporibus Petrus cognomento Longobardus Parisiensis Ecclesiae praesul, vir doctus, & continuu lectio studiosissimus, qui ex scriptis Sanctorum quatuor sententiarum libros non sine magno labore comportavit, qui tantae auctoritatis in scholis Theologorum publicis, ut nemo sine ipsorum perfecta & consummata scientia Theologi nomen histemporibus nostris recte mereatur. Commentarios quoque in Psalterium, & quaedam alia composuit, quorum alibi fecimus mentionem.

Libri quatuor sententiarum c. duntur.

Claruit his etiam temporibus in Burgundia Richardus Monachus Cluniacensis, nostri Ordinis tam in divinis scripturis quam in saecularibus literis haud mediocriter eruditus, qui scripsit inter ceteras ingenij sui lucubrationes Opus non parvae utilitatis, transacti temporis historiam succincte continens. De alijs nihil vidimus.

Richardus Monachus Historicus

Claruit his quoque temporibus Petrus cognomento Comestor, praesbyter in Ecclesia Trecenti, vir tam in divinis scripturis eruditus, quam in saecularibus literis egregie doctus, qui scripsit ad Wilhelmum Archiepiscopum Senonensem Opus insigne super historiales Bibliae libros, quod Scholasticam praenotavit historiam, in libris numero xx. De laudibus quoque B. MARIAE semper Virginis lib. i. Sermones insuper de Tempore & de Sanctis composuit plures, & quaedam alia, quibus memoriam sui Nominis transmisit ad posterum.

Petrus Comestor. Scholastica Historia

Richardus etiam Monachus apud S. Victorem Paris. vir undecunque doctissimus haec tempora moribus sanctis & lucubrationibus multis reddidit clariora. Inter cujus synthemata nos legimus subjecta. De SS. Trinitate libros 6. De contemplatione lib. 5. In Cantica Cantorum. lib. i. De exterminatione mali libr. i. De promotione, boni lib. i. Contra Judaizantes. lib. i. De Tabernaculo foederis lib. i. De xi. mansionibus filiorum Israel in deserto, lib. i. De Sacerdotio Melchisedech lib. i. De profectu Monachoru lib. i. De xii. apparitoribus. lib. i. De studio sapientiae. lib. i. De Triplici holocausto lib. i. De oratione mentali lib. i. De Autoritate S. Petri Apostolorum principis lib. i. De potestate Judiciaria lib. i. De spiritu Blasphemiae lib. i. De Officijs Ecclesiae lib. i. De diversis affectionibus lib. i. Epitome, hoc est Breviarium totius Bibliae lib. i. In Apocalypsin Joannis lib. i. In Daniele Prophetam lib. i. Chronicon breve ab origine mundi usque ad tempora sua lib. i. De gemino palchate lib. i. Divisionum sive Exceptionum opus magnum lib. xxiv. De visione Nabuchodonosor Regis Babylonis lib. i. De Sacrificio Abrahamae lib. i. De quatuor ventis lib. i. De verbis Esaiiae lib. i. De verbis Apostoli Pauli lib. i. De Actibus Apostolorum lib. i. De Charitate violenta lib. i. De Novitate vitae lib. i. Epistolarum ad diversos lib. i. alia insuper multa composuit, quae ad nos minimè pervenerunt.

Richardus S. Victoris Doctor.

Gilbertus  
Pictaviens.  
Doctor.

Circa hæc tempora invenitur claruisse Gilbertus cognomento Porreta Pictaviensis in Gallia Episcopus, homo in omni genere scientiarum doctissimus qui & ipse nonnulla scripsit opuscula, in quibus novitate quâdam terminorum usus, lucubrationes suas multis fecit in parte non modica suspectas. Verum in Remensi Concilio per S. Bernardum Clarevallis Abbatem singulari disputatione superatus, Patrum se determinationi subjecit; è cuius opusculis ista feruntur: in totum Psalterium Commentariorum Opus magnum. In omnes epistolas Apostoli Pauli lib. xiv. In Evangelium S. Joannis lib. i. super Boëtium de S. Trinitate lib. v. Cætera ejus scripta necdum videre potui.

Wilhelmus  
Abbas in  
Gallia Do.  
ctor.

Wilhelmus quoque Abbas S. Theodoricæ Abbatis Ordinis nostri, sed postea Monachus ut dicitur, Cisterciensis in Cœnobio Clarevallis sub magisterio D. Bernardi factus: hæc tempora suis lucubrationibus ac vitæ meritis illustravit. Qui scripsit inter cætera ejusdem S. Abbatis Bernardi, anno Volmari xxiii. pridem defuncti insigne volumen. Speculum quoque fidei lib. i. Ænigma fidei lib. i. Sententiarum fidei lib. i. Ad quendam amicum, quem Theophilum nuncupat. De Natura animæ lib. i. De contemplando Deo lib. i. De Natura & dignitate amoris lib. i. De Sacramento Altaris lib. i. Meditationes pro Novitijs lib. i. Contra Petrum Abelardum lib. i. In Cantica Cantorum opus imperfectum. In Epistolam Pauli ad Romanos lib. i. Et alia quædam.

Hartwigus  
Abbas xvi.  
moritur.

Anno Dominicæ Nativitatis prænotato, videlicet. MCLVII. die xxii. Aprilis circa primâ noctis vigiliam mortuus est Dominus Abbas Hartvigus hujus Cœnobij Hirsaugiensis xvi. Abbas in die prælationis suæ LVII. & in abside majoris Ecclesiæ meridionali ante altare Omnium Sanctorum non sine multis fratrum lachrimis sepelitur. Exaudierat, preces ejus Altissimus quoniam sic in electione sua oraverat, ut si regimè animarum suarum salutis suæ foret contrarium, brevi tolleretur è medio. Nam frequenter honores mutant statum mentis, & qui subjectus est humilis, sæpe in superbiam erigitur prælatus. Bonum ergo est mori quando in meliori statu est homo.

## De Manegoldo hujus Monasterij Hirsaugiens.

xvii. Abbate, qui præfuit annis VIII. mensibus III. diebus VIII.

Et gestis illius temporis.

Manegoldus  
Abb. xvii.  
eligitur.

**P**ost mortem, & sepulturam Venerabilis viri Domini Hartvigi xvi. Abbatis, convenientes ad locum Capitularem fratres manè circa horam diei tertiam, hoc est xxiii. die mensis Aprilis, anno prænotato Dominicæ Nativitatis MCLVII. Manegoldum Priorem Conventûs in Abbatem unanimiter elegerunt, virum moribus & eruditione scripturarum insignem, annos ætatis non minus quam sexaginta complentem: qui precibus filiorum post longam tandem excusationem consentiens onus pastoralis curæ humiliter assumpsit, in qua strenuè præfuit annis VIII. mensibus III. diebus VIII. Qui munus benedictionis in quintum mensem distulit, propterea quod se fratribus bene probandum offerre statuisset. Quorum precibus tandem importunis nimium devictus, ad civitatem Spirensis cum quinque & viginti Monachis